

n. 46. et *Monacell.* in formul. supplement. ad tom. 3. num. 179.; solutionem vero hanc faciendam esse a Capellanis pro tempore praeterito, ut sarciatur damnum ab ipsis illatum sacrario. Haec capitulum. A Capellanis nihil habuimus. Duo sunt causae dubia:

I. An debeantur utensilia in casu? Et quatenus affirmative;

## VACATIO A CHORO.

### 1) Beneficiatorum choro obligatorum.

#### Barchinonen.

Inter ceteras communitates ecclesiasticas seculares, quae in civitate Barchinonis existunt, una illa est in Ecclesia parochiali S. Christophori, quae constat ex Parocho, Vicario, Sacrista et duodeviginti perpetuis beneficiatis. Qui omnes a Sac. Congregatione deprecati sunt gratiam Jubilationis Decani seu antiquioris Beneficiati, et ut duo ex oratoribus pro praesentibus in Choro habeantur, etiamsi per spatium unius mensis recreationis gratia absentes fuerint. Preces hujusmodi dimissae fuerunt cum rescripto diei 13. Decembris 1800: Quod indultum jubilationis recurat in casibus particularibus post laudabiliter expletum chori servitium per annos quadraginta; in reliquis Episcopo pro informatione et voto.

Sedulo Episcopus in remissa informatione operam dedit, ut EE. VV. instructas redderet. Ait praefatam

II. An et in qua summa et a quo tempore debeantur?

S. C. resp.

ad I.: Affirmative et amplius;

ad II.: Deberi a die motae litis juxta consuetudinem Dioecesis et amplius.

Die 28. Jan. et 18. Febr. 1758.

communitatem quotidie missam conventualem et alia officia celebrare nec non cantum horarum canonicarum et divini officii vel partem illarum festivis et aliis diebus peragere majori vel minori solemnitate juxta festivitatis qualitatem. Praefatos beneficiatos, qui relatam communitatem efficiunt, nec statuto nec consuetudine ulla praesentia recreationis gratia gaudere, quin circa similem praesentiam in communitatis constitutionibus quidquam statutum reperitur. Curam animarum ipsius paraeciae nec actu nec habitu residet in eadem communitate neque in suis beneficiatis; immo potius independenter ipsam habet memoratus Parochus, qui per se vel suum Vicarium eam exercet solummodo tamen in ipsa parochiali Ecclesia ad onus infirmis ejusdem assistendis et auxiliandis tenere possessorem beneficii invocationis SS. Stephani et Vincentii, in cujus absentia vel involuntario defectu beneficiato tituli S. Hypolliti simile onus incumbit.

Praeterea reliquas hujus civitatis

communitates ecclesiasticas saeculares ex parcho et suis beneficiatis effirmatis (una dumtaxat excepta) concessionibus ipsarum favore factis gaudere circa praesentiam et perceptionem reddituum et proventuum favore suorum beneficiatorum in casu absentiae a chori residentia recreationis causa. Quae quidem concessionibus factae apparent tam vigore litterarum apostolicarum tam etiam decretorum in actu sacrae Visitationis aliquarum ex praefatis ecclesiis eandem, ac totius anni praecipue festivis diebus seclusis, nec non cum restrictionibus et limitationibus. quae opportune per Apostolicos commissarios et illarum Ecclesiarum visitatores opportune concessae fuere circa modum, quo praefati beneficiati praehabitis concessionibus potiri possunt et valent, ut in eisdem Ecclesiis conveniens beneficiatorum numerus pro officiis divinis aliisque functionibus ecclesiasticis celebrandis nullatenus deficiat. Constat denique minime ullam praesentiam concessam esse in Metropolitana Ecclesia Tarraconensi, quantum ad suas distributiones, quamvis ejusdem canonici et dignitarii nihil per trium mensium spatium ex massa vulgo grossa perdant, nec non in aliquibus secularibus communitatibus et parochialibus ejusdem archidioecesis, prout etiam in quibusdam aliis dioecesibus Gerundensis et Celsonensis concessionem similis et antedictae praesentiae (quae ad mensem pro beneficiatis omnium praefatarum Ecclesiarum absentibus parum plus minusve extenditur) statutum reperiri vigore indultorum apostolicorum aut alias per consuetudinem in ipsis vigentem.

Ex Tridentino Sess. 24. Cap. 12 de Reform. habetur, quod obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Col-

legialis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvo nihilominus Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. Quare apertum est ex hoc decreto, quod concilium expresse non permittit vacationes sed longiores quam trium mensium interdicit et breviores servandas decernit, quae ex statuto Ecclesiae obtinent, ut observat *Fagnan.* in Cap. licet num. 48 de praeben. Cum igitur in Communitate ecclesiastica de qua agitur servitium quotidianum praestetur, nec statuta Ecclesiae ullam a choro vacationem praescribant, videtur, quod ex vigore juris nullum concedendum sit indultum, licet ad unius mensis spatium cohibitur.

Nihilominus S. Congregat. aliquando severitatem juris lenivit indulgendo beneficiatis vacationes, dummodo Ecclesiae servitium nullam ferat detrimentum, ita in Tarraconen. 18. Febr. 1763., in qua capitulares quotidianum servitium praestare tenebantur, concessae fuerant vacationes ad duos menses. Multo ergo magis in casu, in quo beneficiati postulant indultum ad mensem, et decem et octo sint qui Ecclesiae inserviant, ut servitium chori ex indulgentis vacationibus nullum detrimentum sit passurum. Maxime cum faveant huic indulto exempla, quae obtinent tum in reliquis communitatibus ecclesiasticis ipsius civitatis Barchinonis tum in conterminis dioecesibus Gerundensi et Celsonensi, in quibus sive ex indulto apostolico sive ex consuetudine vacationes hujusmodi ad mensem obtinent.

Quod si EE. VV. hanc indulgentiam in casu adhibendam censeant, tum sane statuendus erit modus, quo



vacationes hujusmodi concedi possint. Videtur quod permittendae sint duobus beneficiatis per turnum et per mensem tantum, ita tamen, ut beneficiati omnes tempore adventus et quadragesimae omnibus diebus festis solemnioribus nativitatis D. N. J. C., Pentecostes et Sanctissimi Corporis Christi et per totam octavam ejusdem, in festo s. titularis et in die dedicat. Ecclesiae ac aliis temporibus Ordinario benevisis jugiter servire teneantur. Quae clausulae appositae fuerunt in Tarraconen. 23. Mart. 1865 et in posterum S. Congr. semper eas servandas esse decrevit in similibus indultis concedendis, ut videre est in Bituntina servitii chori 24. Novembris 1760.

Dubium proponitur:

An et quomodo concedendum sit indultum vacationis a choro in casu? S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi, et ut in Tarraconen 23. Martii 1765.

Die 21. Aug. et 18. Septbr. 1774.

Quotidie ex veteri disciplina recitare tenebantur beneficiati officium in choro, ut ex can. ult. dist. 92. testatur *Benedictus XIV. Instit. 107. §. 1.* At humanam miserans infirmitatem absentiam per tres anni menses Canonicis permisit *Sacra Concil. Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reformat. salvo nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.*

(Ex resol. S. C. C. 20. Mart. 1790. *Consentina.*)

2) Canonicorum.

a) Continua vel interpolata.

Vd. Vacatio a choro Canon. (non omnes simul etc.)

Quamvis Concilium Tridentinum

vacationem choralibus concedat ad tres anni menses, non debent tamen ipsi nec possunt ea uti continuata sed interpolatis vicibus, ne chorus debito servitio fraudetur, S. C. Concilii in Interannen. 1640, et praescribitur a singulis capitularibus statutis; Idcirco aboleri debet quaecumque consuetudo variandi invicem vacationes, ob periculum etiam non faciendi satis oneri residentiae, quia, etsi praesens in loco, si choro non intersit, non residet, ut ss. Canones explicant, et dum accumulatur vacationes, ansa porrigitur, ut quis Capitularium saepe absit sive intra et extra dioecesim cum Ordinarii licentia.

Quum Coadjutor non sit vere Canonicus etc. nec valeat nisi coadjuvare Coadjutum, consequitur, quod nunquam praestitutum servitium restituere potest; nam absente Coadjuto ipsi substituitur, Coadjuto praesente Coadjutor locum non habet in choro eoque magis, quod Coadjutor, de quo dubitatur, est Coadjutor Dignitatis, hoc est Prioris Collegiatae et ibi non viget consuetudo, Coadjutorem substituere posse.

Tenent passim doctores, quod dies illi possunt esse vel continui vel interpolati, ita tamen, quod interpolati dies absentiae non superent trimestre. Ita *Reiffenstuel* in lib. 3. decret. tit. 4. num. 114. et ante ipsum *Garzia* de beneficiis part. 2. cap. 2. n. 306., *Barbosa* de offic. et potest. Episcop. part. 3. alleg. 53., num. 120. et *Fagnan.* in cap. licet num. 54. et 55. de praebend. Quae regula has tantum patitur limitationes, ut scilicet non omnes Capitulares eodem tempore abesse possint ne Ecclesia debito careat servitio, *Reiffenstuel* loco citat., nec vacationes incidant in tempora Adventus, Quadragesimae, Paschatis, Nativitatis Domini aliasque solemniore anni festivitates, *Bened. XIV.*

inst. can. 107. §. 6. num. 34. et s. Congregatio in Ferrarien. et Setina 23. Novembris 1771 et in Piaetina vacationis choralis 30. Augusti 1777. Si ergo permutatio nec diuturnior sit tribus mensibus nec impediatur, quominus excipiantur solemniore festivitates, tolleranda potius quam prohibenda videtur, quamvis eo permutantes respiciunt, ut nempe interpolatas vacationes quindecim dierum conjungant. Hanc enim continuam vacationem non prohibet s. synodus nec vicissim ullum Ecclesiae servitio inferitur damnum, cum in locum absentis choro intersit, qui alias vacatione gauderet quisque ab ipso absente de praestito redintegraretur servitio in aliis suae vacationis diebus, ut in capitulari resolutione notarunt Canonici.

(Ex resol. S. C. C. diei 28. Februarii 1795. *Spoletana.*)

b) Dispositio Tridentina.

Canonicus Jacobini allegat dispositionem Concilii Tridentini, cujus vigore trium mensium vacationem sibi competere potuisse supponit, non videtur praetereundum, quid Concilium hac de re disposuerit sess. 24. c. 12. de reformat. En verba Concilii: „Praeterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus et Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas aut portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses de eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvo nihilominus earum Ecclesiarum consuetudinibus, quae longius servitii tempus requirunt.“ Hinc Concilium permittit quidem trium mensium vacationem, quae ab Ecclesiae statuto aut consuetudine introducta fuerit, non tamen disponit, ut ad id tempus protrahatur nec permittit, ut alia norma quis vacationis indulgentia frui possit, quam quae fuerit lege

synodali praescripta; super hoc Concilii Tridentini decreto observat *Fagnan.* in cap.: Licet de Praebendis num. 48. quoad statutum vel consuetudinem vacandi ad tres menses, a contrario sensu praeservat Concilium Tridentinum etc., non autem indulget Canonicis omnium Ecclesiarum, ut tres menses abesse possint, ut quidam incaute putarunt. Non enim procedit concedendo sed prohibendo etc. Et Canonicis ut supra adstrictis postulantis ex gratia vacationem trium mensium s. Congregatio meo tempore semper abnuat.

(Ex resol. S. C. C. diei 19. Decembris 1772.)

Addere praestat, quae s. Concilium sess. 24. cap. 12. de reformat. disponit. Haec sunt verba Concilii: *Obtinentibus in eisdem Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvo nihilominus earum Ecclesiarum consuetudinibus, quae longius servitii tempus requirunt.*

Observat *Fagnanus* in cap.: *Licet de Praebendis num. 48. ad 51.* quod reclusa consuetudine vel statuto Canonici Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum non possunt Ecclesiam deserere et trium mensium vacatione gaudere, cum sacrum Concilium in dicto decreto processerit non concedendo quemadmodum incaute nonnulli putarunt, sed prohibendo, ne Capitulares praetextu statuti vel consuetudinis ultra tres menses abessent a residentia, nam expresse praeservavit consuetudines, quae longius servitii tempus requirerent.

(Ex resol. S. C. C. diei 8. Februarii 1783. *Ripana.*)



Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 12. de reform.* mandavit quod: *Obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonatus, Praebendas aut Portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvo nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirant.*

Advertit tamen *Fagnan. in cap. Licet de Praebendis*, quod in relato Concilii decreto provisum fuit ad illarum Ecclesiarum statuta et consuetudines, quae Canonicis vacationes ultra tres menses indulgebant illasque ad tres tantum menses coercitas: nequaquam vero omnibus Ecclesiarum servitio addictis permissum fuit, ut trium mensium spatio vacatione a choro fruerentur, quia Tridentini Patres non concedendo sed prohibendo decretum ediderunt et expresse mandarunt, ut servarentur constitutiones et statuta, quae longius servitii tempus requirerent; quare *loco cit. num. 50. et 51.* concludit, quod Capitula Cathedralium et Collegiatarum, quae ex consuetudine nullo vel minori vacationis tempore gaudent, debent ad s. Congregationem recurrere, quae ex gratia trium mensium vacationes quandoque indulgere solet. *Garzias de benef. part. 3. cap. 2. n. 311 et sequen.* ait diversam a s. Congregatione in concedendo vacationis indulto servatam fuisse regulam; si enim ex statuto vel consuetudine assiduum servitium reperitur absque ulla intermissione, et tunc trium mensium vacatio conceditur; denegatur tamen, si ex statuto vel consuetudine aliqua indulgeantur licet breviores vacationes.

*In Illerden. Servitii Chori* Capitulum Collegiatae Ecclesiae Oppidi de Tamarite supplicavit pro indulto ab-

essendi per tres menses et bis proposita instantia bis etiam rejecta fuit, nempe diebus 15. Novembris 1698 et 28. Novembris 1699.

Verum in *Nullius Farsen. die 18. Septembris 1655* indultum fuit Canonicis Collegiatae Ecclesiae s. Victoriae: *Ut per duos menses a servitio Ecclesiae quotannis abesse possint, ita tamen ut omnes intersint in diebus dominicis et festis totius anni et in diebus omnibus Adventus, Quadragesimae, Octavae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi et nunquam a servitio ultra tertiam partem eodem tempore absint, lib. 19. decret. pag. 532.* Rursus in *Atrien.* Cum Canonici Ecclesiae Cathedralis assiduum singulis diebus servitium praestare solerent et indultum vacationis per tres menses postulasset, ad duos tantum menses fuit concessum die 19. Sept. 1722.

Majori tamen indulgentia usa est aliquando s. Congr. praesertim justa aliqua et rationabili concurrente causa. In *Asculana* Canonici Ecclesiae Cathedralis duorum mensium vocatione fruebantur et attenta Praebendarum tenuitate et laborioso servitio insteterunt, ut alius vacationis mensis indulgeretur: et die 28. Januarii 1696 impertitum fuit, *ut pro arbitrio Ordinarii per tres menses cujuslibet anni juxta modum a s. Concilio Tridentino praescriptum et per tempus etiam verae infirmitatis jurata Physicorum attestazione comprabante, dummodo in erectione contraria non adsit dispositio, vacare et interim omnes fructus et distributiones quotidianas percipere possint, non secus ac si choro et officio divinis personaliter interessent. Ita tamen ut eodem tempore duae partes ipsorum semper inservant Ecclesiae diebus exceptis solemnibus, in quibus omnes*

*inservire teneantur lib. 46. decret. pag. 39.*, quod quidem rescriptum fuit etiam deinceps confirmatum die 5. Jun. 1706 et 15. Jan. 1707, excepto tamen tempore Adventus, Quadragesimae et Octavis solemnioribus *lib. 56. pag. 170. et lib. 57. decret. pag. 1.*

Rursus in *Leyrien.* Capitulum Ecclesiae Cathedralis petiit ut vacationes, quae trimestris tempus non excedebant, ad centum in quolibet anno dies extenderentur: cumque hujusmodi indultum denegatum fuerit in Congregatione diei 20. Septembris 1704, Canonici petitionis examen restaurare curarunt sub dubio: *An sit standum vel recedendum a decisio in casu etc.?* die 24. Januarii 1705 eadem s. Congregatio rescripsit: quod *Episcopus sublatis quibuscumque aliis vocationibus Capitulo indulgeat, ut ex gratia vacatione trium dumtaxat mensium quolibet anno frui et gaudere possit et valeat, lib. 15. decret. pag. 45.*

(Ex resol. S. C. C. die 3. Junii 1784. *Amerinen.*)

#### e) Episcopi facultas.

Vd.: *Resident. Canon.; Chorus.*

Episcopus potest reducere consuetudinem longioris vacationis Canonicorum a servitio Ecclesiae ad tempus praescriptum a Conc. Tr. S. C. C. 22. Novembris 1602 ad 1. *Equitan.*

#### d) Non omnes simul abesse possunt.

Vd.: *Vacat. a choro Canon. (continuae etc., dispos. Trid.)*

*Sacra Congr. censuit Eminentissimum Episcopum facere debere decretum in Collegiatis Ecclesiis suae dioecesis, quae vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno et eodem tempore*

*et hujusmodi vacationem contingere non debere tempore Quadragesimae et Adventus neque in principalioribus anni festivitibus.*

Die 8. Julii 1786. *Reganaten.*

#### e) Licentia extra dioecesim abesse.

Vd.: *Resid. Canon.*

*Sacra Congregatio tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc ut Canonici abesse possint in mensibus a Concilio permissis, censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum quoties Canonici abesse volunt extra dioecesim, quod aliis confirmavit resolutionibus apud *Benedictum XIV. instit. 107. §. 6. num. 36.**

(Ex resol. S. C. C. die 28. Febr. 1795. *Anagnina.*)

#### f) Numerus Canonicorum

praesentium.

Cavendum est, ne major Capitularium pars eodem tempore abesset, ut in *Acrien.* 5. Decembris 1722 et in *Plocen.* Servitii Chori 1791.

(Ex resol. S. C. C. die 14. Januarii 1792. *Oriolen.*)

#### g) Tempus.

Vd.: *Vacat. a choro Canonicor., (dispos. Trident.)*

*Sacra Congregatio censuit Eminentissimum Episcopum facere debere decretum in Collegiatis Ecclesiis suae dioecesis, quae vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium, Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno et eodem tempore et hujusmodi vacationem contingere non debere tempore Quadragesimae et Adventus neque in principalioribus anni festivitibus.*

Die 8. Julii 1786. *Reganaten.*



Oriolen. ibi...

In erigenda insigni Collegiata s. Nicolai civitatis de Alicante statuit Clemens VIII. cujusque Canonici praebendam in hispanicis libris decem ceterosque redditus librarum circiter 400 quotidianis assignavit distributionibus. Communicavit autem Capitulo privilegia, praerogativas, indulta, quibus fruebantur Cathedralis Valentiae, Oriolis, Segobriae; et Collegiatae Xativae et Laudiae Valentiae Dioecesis. Recens aucta est primaeva dotatio in aliis libris 90, sed pluribus de causis, quas mox audient Emmi Patres ex ore Episcopi Oriolensis, vacationum ampliacionem posulant Capitulares a bimestri ad trimestre cum perceptione distributionum aliorumque reddituum exemplo Oriolensis Cathedralis, cui similis concessa fuit gratia in Congregatione 14. Januarii 1782. Normam sumi non posse ait Episcopus ab observantia aliarum Collegiatarum suae dioecesis, quum sint nullae. De summa vere testatur Canonicorum inopia prae reddituum tenuitate, ita ut necessario plerique sequantur, ut vivant, parentes vel consanguineos suos in absentia, dum de fructu frumenti, vini et olei, in quibus multiplicati sunt, colligendo secessus varios per annum coguntur arripere. Excessivum memorat regionis calorem in aestate, qui ad similes urget absentias, quibus non desunt opes. Atque exposci refert indultum de consensu Capituli; illudque et ipse exoptat. A quo inductae fuerint tempore bimestres vacationes Canonicorum de Alicante, non constat; sed initium fortasse habuerunt ab ipsa erectione Collegiatae. Ex dispositione igitur sacri Concilii Tridentini sess. 24. cap. 12. de reform. servanda videretur hujusmodi consuetudo; nam in permittendis trium mensium vacationibus excipit illarum

Ecclesiarum constitutiones, quae longius servitii tempus requirunt. Gratiam tamen mereri possent Oratores tum ex tenui canonicatum reddito, ut in Alexandrina Servitii Chori 1790 et citata Oriolen. 14. Januarii 1792, cum ob insalubritatem aeris ex calore aestivo, ut in Vercellen. Servitii Chori 10. Februarii 1791. Attento potissimum exemplo Oriolensis Cathedralis, cujus indulta, praerogativas, privilegia communicavit Clemens VIII. Collegiatae de Alicante (quae tamen erant tempore erectionis) et attenta finitimarum Cathedralium consuetudine, ad quam etiam respexit sacra Congregatio in dicta Oriolen. 14. Jan. 1792.

Quatenus autem prorogandae sint vacationes, deliberandum insuper erit de perceptione distributionum et reddituum. Qui a choro siquidem vacationum tempore absunt, privantur distributionibus, eliamsi in morbum inciderint, secundum Fagnan. in lib. 3. decretal. cap. licet de praeben. num. 149., non item praebendis, quae ab illis sint distinctae, ut in nostro themate, ex sacro Concilio Tridentino sess. 5. cap. 1. de reform., Girald. in jus pontific. part. 1. ex lib. V. decretal. tit. 5. de magistr. sect. 787. Res vero est de distributionibus tenuissimis, quae neque cum praebendis ad congruam sufficiunt Canonicorum sustentationem.

Quaeritur itaque:

An et quomodo sint amplianda vacationes in casu etc.?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi facto verbo cum Sanctissimo.

Die 6. Decembris 1794.

Canonice opes non posse ultra tempus...

Atrien:

(Conc. Tr. C. 12. S. 24. De ref.)

Canonici Cathedralis Ecclesiae Atrien. quotidiano et nunquam interrupto Ecclesiae servitio vacantes itaut qualibet die ter ad dictam Ecclesiam accedant et aliquando etiam quatuor vicibus, dividendo videlicet tempore quadragesimae et aliis quibusdam diebus recitationem Vesperarum a recitatione Completorii, supplicant pro vacatione trium mensium attentis praedicto continuato servitio, tenuitate reddituum et aeris intemperie et Episcopus pro informatione et voto requisitus censuit annui posse petitis.

Sacrum Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. sic statuit: non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab usdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt; et cohaerenter ad hanc sacram Concilii dispositionem s. haec Congr. Canonicis adstrictis Ecclesiae servitio ultra novem menses et postulantibus ex gratia vacationem trium mensium negative, ut plurimum respondit teste Fagnan. in cap. licet num. 48. et seqq. de Praebendis.

Haec procedunt in terminis Canonicorum servitio adstrictorum ultra novem menses, in eo autem, quod attinet ad Canonicos ex constitutione aut consuetudine Ecclesiae adstrictos servitio totius anni, haec habentur apud Garz. de benef. 3. par. cap. 2. num. 311., ibi: si tamen constitutio aut consuetudo Ecclesiae requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa; est enim dura residentia totius anni oportetque maxime iuxta fragilitatem humanam indulgeri

aliquod tempus ad recreationem corporis et animi. Et ita sacra Congregatio Concilii censuit in una Astoricens. his verbis: decretum Concilii cap. 12. sess. 24. concedit Canonicis absentiam trium mensium, si constitutiones Ecclesiae servitium totius anni requirunt. Concordat Barbos. ad cap. 12. sess. 24. num. 64. et consimiles referuntur sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium resolutiones apud Nicolium in flosculis in verbo: Canonicus sub num. 31.

Transeundo ad resolutiones hujus s. Congregationis haec benigne indulsit, ut Canonici Ecclesiae Collegiatae s. Victoriae Farfen. per duos menses a servitio Ecclesiae quotannis pro arbitrio Emmi Commendatarii abesse possent, ita tamen ut omnes interessent diebus dominicis et festis totius anni et diebus omnibus Adventus, Quadragesimae, Octavae Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi et nunquam a servitio ultra tertiam partem eodem tempore abessent, uti legitur lib. 19. decret. pag. 582. die 13. Novembris 1655; eademque benigne annuit, ut Canonici Praenestini per quatuor menses singulis annis, scilicet a prima die mensis Junii usque ad primam diem mensis Octobris per tertiarium, hoc est octo ex duodecim intervenire deberent et quatuor a servitio vacare valerent, uti habetur lib. 15. decret. pag. 576 22. Augusti 1637 et in Cathacen. Servitii Chori, in qua agebatur de Canonicis, qui inserviebant diebus dominicis et aliis festis solemnioribus et aliis diebus inserviebant alternatim, licet die 19. Novembris 1698 reprobatum fuerit hujusmodi servitium, attenta nihilominus Praebendarum tenuitate, quae erat in ducatis 50. annuis quoad Canonicos et in ducatis 100 quoad Dignitates, die



12. Septembris 1699 recessum fuit a decisis et attentata Praebendarum tenuitate statutum fuit servitium per mediarias juxta morem Basilicae Vaticanae, uti habetur libro 40. pag. 567. et lib. 49. pag. 311. et in quadam causa Leirien., in qua ultra vacationem octuaginta dierum Capitulo indultam anno 1553 a Nuntio apostolico Canonici praetendebant alternis hebdomadis vacatione frui pro tonsione barbae et pro recreatione corporis, s. Congregatio die 24. Januarii 1705 lib. 55. decret. pag. 23. indulgit, ut sublatis quibuscumque aliis vacationibus Capitulum ex gratia frui valeret vacatione trium mensium quolibet anno.

His stantibus dignabantur EE. VV. discernere: *An et quomodo petitioni sit annuendum in casu?*

S. C. C. resp.: Pro gratia ad duos menses ad formam Farfen 12. Novembris 1655.

Die 5. et 9. Decembris 1722.

*Ad dub.*: An Canonici et Dignitates Cathedr. Castri Maris possint impune a residentia absque Episcopi licentia abesse tempore, quo vigore indulti sacrae Congregationis non tenentur choro interesse? S. C. resp: in jure praemittendum est prudenti Episcopi arbitrio reservatum esse discernere, quot Canonici seu beneficiati debeant Ecclesiae inservire quove utentes vacatione sibi indulta possint a residentia discedere, eique proinde permissum esse prohibere, ne eorum ullus tempore solemniorum festivitatum sine ejus licentia e loco residentiae absint, quemadmodum ad rem tradunt *Barbos.* de can. cap. 20. n. 3. et seqq., *Monacell.* part. 1. tit. 4. form. 7. n. 5. et 6.; hinc enim communiter receptum esse videtur episcopum posse legem quoque indicere, ut Canonici

et Dignitates volentes vacationum indulto frui nequeant nisi de ipsius licentia relinquere eoque minus extra dioecesim commorari istique legi seu edicto pecuniarum mulctam et in subsidium spiritualem quoque suspensionis poenam adjudicare, juxta plures resolutiones hujus s. Congr. relatas in cit. *Larinen.* decretorum synodaliu 30. Augusti 1732.

Et quamvis necessariam haud esse Episcopi licentiam, ut Canonici et Dignitates possint vacationis indulto eis per Tridentinos patres elargito frui, teneantur *Fagnan.* in cap.: „Relatum“ n. 15. et 16. „de cleric. non resid.“ part. 2. cap. 2. n. 312., *Barbos.* ad concil. sess. 24. cap. 12. n. 65. de ref. et pluries resolverit sacra Congregatio et praesertim in *Adrien.* 8. Maii 1649, ubi ad IV. dubium ita conceptum: „An idem Episcopus possit prohibere absentiam de jure permissam absque ejus licentia“? responsum fuit: non posse prohibere, at tamen hujusmodi auctoritates intelligendae videntur, ut Episcopi licentia non sit necessaria ad obtinendam vacationem praedictam, non autem quoad modum eadem vacatione fruendi, ut explicat *Piton.* tom. 4. dicept. eccl. 115. n. 16.; et juxta hunc sensum memorata sacrae Congregationis resolutio in *Adrien.* mox allegata una cum aliis locum sibi vindicat in casu, quo Canonici indulto utentes se a servitio Ecclesiae intra dioecesim moram trahunt, tunc enim Episcopi licentia non indigent; secus vero, si ab ea velint abesse, uti declaravit eadem sacra Congregatio in *Jadren.* 9. Maii 1626 hisce verbis: „Sacra Congregatio tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc, ut Canonici abesse possint in mensibus ab eodem concilio permissis, censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum,

quoties Canonici abesse volunt extra dioecesim ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam; caeterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa denegare,“ ut in lib. 12. 12. decr. pag. 353.

Et reipsa conformiter ad hanc resolutionem novissime in *Aceriarum* 23. Augusti 1727 discussis duobus hisce dubiis:

I. „An Canonici Ecclesiae Cathedralis liceat ab eorum dioecesi abesse absque licentia Episcopi? et quatenus negative,

II. Au sustineatur edictum reverendissimi Episcopi etiam quoad absentiam paucorum dierum et respective trium mensium a sacro Concilio Tridentino concessorum?

Prodiit resolutio

ad I.: negative sub poena ducatorum quinque tantum in casu conventionis et in subsidium suspensionis;

ad II.: provisum ut in lib. 77. decr. pag. 518.

His igitur ponderatis una cum juribus nomine Episcopi allatis placeat EE. VV. rescribere:

*An saltem Canonici gaudentes vacationem, ejus tempore durante, possint impune discedere et abesse in casu?*

S. C. C. resp.: Affirmative juxta decretum in *Jadren.* 9. Maii 1626 et ad D. Secretarium juxta mentem.

Die 13. Aprilis et 4. Maii 1737.

Giennen.

Vetustissima statuta Ecclesiae Cathedralis Giennen. tribuentia Canonici vacationes centum dierum pro quolibet anno et plures alias horas cum parti-

icipatione distributionum ex causa assistendi nonnullis functionibus ecclesiasticis pro tonsione barbae et aliis specialibus operationibus revocata fuerunt ex decreto hujus sacrae Congregationis sub die 16. Januarii 1700, in qua propositis duobus dubiis scilicet:

I. An statuta Cathedralis Ecclesiae Giennen. circa vacationes sint observanda? Et quatenus affirmative,

II. An durante tempore dd. vacationum liceat capitularibus abesse a loco residentiae etiam sine licentia Episcopi?

Rescriptum fuit

ad I.: negative et servetur dispositio sacri Concilii Tridentini;

ad II.: Affirmative cum solitis clausulis.

Cum autem modo Canonici praetendant illam jam fuisse redactam ad terminos dispositionis conciliaris mediante alio statuto condito de anno 1787 ab Episcopo Sarmiento et inviolabiliter, ut praetenditur, observato, firmis remanentibus vacationibus horarum concessis pro supradictis specialibus functionibus cum participatione distributionum, quae grossae nuncupantur, non autem minutarum; iidem Canonici reclamantes a decretis per Episcopum editis in executionem praefatae resolutionis hujus sacrae Congregationis parte utraque monita et informante infrascriptorum dubiorum decisionem ab EE. VV. supplices exposcunt:

I. An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis sub die 16. Januarii 1700?

II. An decreta facta per Episcopum sustineantur in casu etc.?

S. C. die 26. Jan. 1704 respondit